DIE X JUNII

IN FESTO

S. MAXIMI EPISCOPI NEAPOLITANI

ET MARTYRIS

Duplex.

Introitus. Dan. 3.

Sacerdotes Dei, benedicite Dominum: Sancti et humiles corde, laudate Deum.

Cant. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula.

Gloria Patri etc.

Oratio

Effunde, quæsumus Domine, super Ecclesiam tuam Spiritum fortitudinis, quo Beatum Maximum Martyrem tuum atque Pontificem, pro tuenda fidei veritate, roborare dignatus es: et concede ipsius suffragantibus meritis, ut eodem nos repleti, et in Fide inveniamur stabiles et in opere efficaces. Per Dominum.... in unitate Spiritus Sancti etc.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 1.

Fratres: Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Jesu Christi, Pater Misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur; ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. Psalm.8. Gloria et honore coronasti eum.

℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine. Alleluja, Alleluja.

℣. Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus. Alleluja.

Post Septuagesimam omissis Alleluja, *et versu sequenti, dicitur sequ.*

Tractus. Psal. III. Beatus vir, qui timet Dominum,

in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 14.*

In illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum: ne postea quam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consumare. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Offertorium. Psal. 88.

Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

Secreta

Huic divino convivio fac nos, quæsumus Domine, pura mente ac sincero corde accumbere, ut eodem nos, quo Beatus Maximus, fidei robore et patientiæ clypeo muniamur. Per Dominum etc.

Communio. Psal. 20. Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Postcommunio

Mensæ cœlestis pasti deliciis supplices te, Domine deprecamur, ut qui Beato Maximo Martyri tuo atque Pontifici exilii pœnas ei ab impiis inflictas æternæ vitæ gaudiis commutasti, ita nobis tribuas, ut e mundani exilii periculis liberati perpetuo in patria gaudere valeamus. Per Dominum etc.

Si hoc Festum celebrari contigerit Tempore Paschali, tunc dicenda erit Missa Protexisti de communi unius Martyris Temp. Pasch. Orationes vero ut supra positæ sunt.